



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VI. Vtrum reliquiæ sanctorum sint adorandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Dixi, *communis usus communiter*. quia possunt formari & poni iis circumstantiis ut mentem excitent ad recolenda passionis instrumenta, & censeantur illa representare; ut si ponantur simul lancea, corona spinica, clavi, columna &c. & eo casu nihil prohibet quod minus possint honorari. Similiter si in nocte natiuitatis decenter construatur praesepe. Addi etiam potest quod vir spiritualis priuatim & seposito scandalo possit illa etiam seorsim sumpta honorare, si ea concipiat tanquam signa representantia passionis instrumenta, & ipsum Christum passum.

108.

Quidam censent quamlibet rem posse adorari, si Deus in ea concipitur.

Leont.

Aliqui etiam censent quamlibet rem posse adorari, si Deus in ea concipitur. Cum enim Deus in omni re sit intime praesens per essentiam & operationem, nihil obstat quod minus in omni re consideretur, atque in omni re coli possit, etiam exhibendo rei externam adorationis notam. pro qua sententia citatur Leontius in 7. Synodo act. 4.

Leont.

Non videtur facile usurpandum.

S. Thom.

Verum ut id spectata rei natura fieri possit, si adhibeatur diligentia ne aliquod scandalum oriatur, & euitetur omnis indecentia; non est tamen ita usu receptum, & proinde non videtur facile practicandum; praesertim respectu hominis, qui habet naturam per se adorabilem, & ex cuius frequenti adoratione latræ possit incurri periculum erroris, ut S. Tho. art. 3. ad 3. scilicet idololatriæ; vir tamen spiritualis Deum facile agnoscens in quolibet homine, priuatim eum adorans esset dignus maxima laude.

ARTICVLVS V.

Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latræ?

Resp. neg.

109.

B. V. potest adorari latræ per accidens; non solet tamen ita adorari.

RESPONDET negativè, eò quod sit creatura. Notandum si B. Virgo consideretur ut coniuncta Filio Dei, eam posse adorari latræ per accidens. Verum hic modus non est vstratus: cum enim habeat dignitatem per se adorabilem, videtur propter illam adorari, idque solum est quod videtur velle S. Tho. non verò vult quod nullo modo id fieri possit. Si verò consideretur ut Mater Dei, potest adorari hyperdulia, de qua dictum est art. 2. dub. 2. Potest similiter adorari excellenti cultu propter dona gratiæ habitualis, ut ibidem.

ARTICVLVS VI.

Utrum reliquiae sanctorum sint adorandæ?

Resp. affir.

RESPONDET affirmativè: quia qui aliquem veneratur, veneratur etiam ea quæ ab illo post eius mortem relinquuntur.

Notandum nomine reliquiarum intelligi non solum corpus & ossa sanctorum, sed etiam cineres, vestes, instrumenta suppliciorum, & alia quæ ipsi suo usu quodammodo consecraverunt.

110.

Reliquias qui impugnantur hæretici.

Tam antiqui quam moderni hæretici hunc reliquiarum cultum sunt infectati: ut enim alios omitam, Eunomius eum impugnauit, quem secutus est Vigilantius, contra quem agit Hieron. epistola 53. ad Riparium. pugnarunt etiam contra eandem reliquias Constantinus Copronymus & plures alij, & noster temporis hæretici.

De fide est

Seade tenendum est sanctorum reliquias esse

honorandas. definitur in 7. Synodo act. 7. & actione 3. vocantur *salutares fontes* quibus Deus beneficia hominibus praestat. in Concilio Gangrensi can. vltimo dicitur *anathema* ijs qui memorias Martyrum (id est loca ubi sunt reliquiae Martyrum) execrantur. in Concilio Carthaginensi 5. cap. 14. iubetur ut nulla altaria, vel memoriae martyrum dedificentur, nisi ubi sint aliquæ martyrum reliquiae. videri etiam possunt Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. 62. & Trident. sess. 15. decreto de inuocatione sanctorum.

Prob. 1. ex scriptura. Exodi 13. ossa Ioseph honorificè asportantur & sepeliuntur. 4. Reg. 13. contactu cadaueris Elisei miraculum editur in mortui resuscitatione; ergo signum est quod Dominus Deus velit sanctorum reliquias in honore haberi. Act. 19. sudaria & semicinctia S. Pauli languores curarunt. Innumera alia miracula à Deo per reliquias patrata omitto, eò quod passim apud probatos auctores reperiantur.

2. ab initio nascentis Ecclesiae plurimæ factæ sunt reliquiarum honorificæ translationes: de translatione corporum SS. Petri & Pauli constat ex Cornelio Papa epistola 1. de translatione reliquiarum SS. Andree, Lucae, Timothei, constat ex Hieronymo contra Vigilantium. innumera alia honorificæ translationes à probatis auctoribus referuntur.

3. Deus reliquias sanctorum occultas & incognitas etiam miraculo manifestauit, ut patet ex Augustino lib. 9. confessionum cap. 7. de reliquijs SS. Geruasij & Protasij.

4. Probatur ex Patribus; Gregorio Nazianzeno oratione in D. Cyprianum: omnia potest pulvis Cypriani cum fide, ut sciunt hi qui ipsi experti sunt & miraculum ad nos usque transierunt. Augustino epistola 103. ad Quintianum, portant funde (scilicet latrores epistolæ) reliquias beatissimi & gloriosissimi martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam conuenienter honorare debemus. videri possunt Hieron. lib. aduersus Vigilantium, & Dam. lib. 4. de fide cap. 16. qui fusè hanc veritatem docent. videri etiam possunt plures Patres apud Bellarm. lib. de imaginibus cap. 3.

Prob. 5. ex perpetua Ecclesiae consuetudine & praxi fidelium.

6. Prob. ratione. 1. ratio dicit quod non tantum sanctos & amicos Dei possumus honorare, sed etiam illa quæ ad eos pertinent; unde non tantum corpora sanctorum possumus venerari, sed etiam illa quæ ex sanctorum contactu quandam dignitatem censentur sortiri. 2. corpora sanctorum fuerunt organa animæ ad multa pietatis opera; fuerunt etiam organa Spiritus Sancti ad varia miracula patranda, & ad beneficia mundo conferenda. 3. futura sunt confortia beatitudinis & gloriæ cum anima. Post sacrosanctum sacrificium & sacramenta, Deus nihil reliquit mundo vtilius sanctorum reliquijs.

Notandum sacras reliquias non videri per se adorandas, ita ut interior submissionis affectus ad illas dirigatur, sed tantum eo modo quo supra diximus adorari imagines, ita scilicet ut nota quidem exterior immediatè reliquias respiciat, adoratio verò in spiritu tendat in Christum & in sanctos quorum sunt reliquiae, & per consequens tantum per accidens colantur. Ita tenent varij qui nostram sententiam de adoratione imaginum sunt amplexati, & facile deduci potest ex sancto Thoma articul. 4. & Caietano ibidem: videri potest Leontius in actione 4. septimæ Synodi.

Ratio

Ratio est eadem quæ pro adoratione imaginum una cum prototypo est allata; quod scilicet res inanimata non habeant dignitatem adorabilem, si spectentur separata à prototypo, nec possimus nos eis tanquam sublimioribus interiori affectu submittere.

Aduerte quod aliquid pluribus modis coniungitur sanctis, eò maiorem excitare deuotionem; similiter quod aliquid pluribus modis sanctos representat; quia affectum vehementius excitat erga personam quæ per imaginem representatur vel cuius sunt reliquiae: & inde oritur cultus demissior, feruentior, intensior, illius tamen speciei quam persona adorata postulat. Id patet in adoratione crucis, in qua pependit Christus, quam magno feruore solemus adorare & submisso adorationis genere propter Christum representatum, & quia est imago, & quia illum contigit, & quia venerandis guttis sanguinis ipsius est resperfa.

Contra resolutionem Obijciunt 1. Luca 11. dicit Dominus: *Va vobis qui edificatis monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos, profecto respiciamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra.*

Resp. perperam hæreticos hinc concludere reliquias non posse colicium satis constet neque lege naturæ illicitum esse adificare alijs sepulchra, neque id fuisse Iudæis prohibitum, vt satis patet ex plurimis locis scripturæ, Genes. ultimo, Isa. 11. & alijs; ex quibus patet esse laude dignum alios donare sepultura.

Id ergo Christus non vult reprehendere, sed potius insinuat contrarium: nam redarguit Phariseos quod sub prætextu pii operis peruersum animum occultarent, quasi diceret; quamuis sepulchra Prophetis edificetis & in eo videamini bene agere, merito tamen estis reprehendendi tanquam imitatores patrum vestrorum (non quod sepulchra edificetis) quia sicut illi prophetas occiderunt, ita & vos me prophetarum Dominum persequimini & vultis occidere, similiter & meos Apostolos. quod patet ex sequentibus. Hæc explicatio videtur patere ex Matth. 23. cap. vbi sententia clarius ponitur. *Va vobis Scriba & Pharisei hypocritæ, qui edificatis sepulchra prophetarum & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: si fuissimus in debetis patrum vestrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt. & vos implete mensuram patrum vestrorum. vbi Christus docet quod licet Pharisei viderentur exterius factum patrum suorum improbare sepulchra erigendo Prophetis, reipsa tamen maxime probarent, eum & Apostolos persequendo.*

Dices apud S. Lucam in sententia citata habetur, quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra. quibus verbis videtur reddi ratio illius quod immediate ante præmittitur, *profecto respiciamini quod consentitis operibus patrum vestrorum.*

Resp. negando assumptum, quia prædicta verba, quoniam ipsi quidem &c. non sunt coniungenda sententiæ immediatè præcedenti, sed sunt repetitio illius quod initio dictum erat, *va vobis qui edificatis &c.* quam repetitionem constat scripturis esse satis familiarem.

Obijciunt 2. Apostolus ad Coloss. 2. damnat cultum voluntarium quem vocat *εὐλαβία*; sed cultus reliquiarum est voluntarius, ergo.

Resp. 1. quod sit natura decente esse honestum & rationi consonum, non debere vocari cultum voluntarium ad sensum Apostoli, cum plura fiant licite quæ non sunt præcepta. 1. ea quæ à Deo sunt instituta, licet relicta libera & citra ullam obligationem. 2. quæ ab eodem sunt approbata. 3. quæ mediante lumine naturæ declarant esse honesta. Ex his est cultus reliquiarum, qui à Deo est approbatus, vt patet ex veteri testamento, item ex innumeris miraculis per reliquias patris, & ex earum honorifica translatione & eleuatione, idemque est maxime conformis rationi.

Resp. itaque 2. locum Apostoli nihil ad rem facere, quia ibi agit de cultu supersticioso in cibi abstinentia more Iudaico vel Gentilitio, vt patet ex toto capitis contextu.

Obijciunt 3. in Concilio Elibertino cap. 34. dicitur, *cereos per diem placuit in cæmeterio non incendi; inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt.* censet ergo Concilium malum esse cereos ante corpora sanctorum accendere.

Resp. negando conseq. nam Concilium tantum videtur velle cereos non esse accendendos ex supersticioso ritu Gentilium, qui putabant cadauera mortuorum sentire & cereis illuminari, qui cultus merito dici potest inquietare spiritus sanctorum, eò quod illis displiceat.

Quidam etiam rationem referunt non ad spiritus defunctorum, sed ad fideles, qui his superstitionibus perturbantur: hoc sensu, cerei in cæmeterio per diem accendi non debent supersticioso ritu Gentilium, non enim debent fideles hac superstitione perturbari. Consimili ratione August. videtur interdum improbare quod supra sepulchra mortuorum ponerentur epulæ, scilicet ritu Gentilitio in sacrificium improbat etiam interdum ingurgitationes ad sepulchra mortuorum, non verò reprobatur religiosum cultum reliquiarum.

Neque similiter eundem reprobatur Hieron. lib. aduersus Vigilantium dum Vigilantio dicenti, *propter ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi; ita respondet vt videatur simplicitati quorundam adscribere quod cereos de die accenderent; solum enim intendit docere non posse inde sumi magnum argumentum contra cultum reliquiarum; de cætero satis indicat id esse licitum, cum epistola 53. ad Riparium agnoscat posse cereos accendi ante tumulos martyrum, dum quærit; accensique ante tumulos eorum cerei idolatriæ insignia sunt?*

Pro complemento dubij Aduerte cap. 62. Concilij Lateranensis sub Innocentio 3. decerni vt nemo presumat publicè venerari nouas reliquias seu de nouo inuentas, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. refertur *cap. cum ex eo de reliquijs & veneratione sanctorum.* quod tamen decretum est modificatum per Concilium Trid. sess. 25. decreto de inuocatione sanctorum &c. nam per illud decretum sufficit approbatio Episcopi adhibito Theologorum consilio, nisi cit approbatio Episcopi. quid grauius occurrat, sine qua approbatione nequidem in Ecclesia exempta nouæ reliquiae proponi possunt.

Resp. prior.
115.

Quid cultus voluntarius apud Apost.

Resp. posterior.

Obiectio 3.

Resp.

116.
Explicatur Conc. Elibert.

August.

Explicatur & D. Hier. in speciem contrarius.

117.

Lateran. Trident.

Ad proponendas publicè reliquias per Trid. sess. 25. cit approbatio Episcopi.